

dicta mulier prolem utrique gratam concepit, masculum videlicet et femellam. sicque nature misterio factum est, ut nulla prorsus varietate interveniente filius representaret patris effigiem, et per consequens filia in gestis et moribus suam sequeretur per omnia genitricem.

2. Revolutis itaque certis annorum curriculis, mulier gravi plaga percutitur et permissione divina (191^a) lepre squalore fedatur. at ubi hic abhominabilis languor suis vicinis innotuit, famaue continuata crebrescens ad noticiam parentum dicti Rudolphi pervenit, decreverunt inter se, qualiter huic pesti per viam antidoti salutaris occurrerent ipsumque, a quo nomen eorum dependebat et omen, ab imminenti periculi dampnosis eventibus liberarent. propter quod unum ceteris magis disertum, data sibi super hoc loquendi forma necessaria, in suum nuncium elegerunt. qui dum assumpto hujusmodi legacionis onere ad ipsius presenciam pervenisset, talibus est hunc in sue locucionis primordio verbis affatus: ‚carissime fautor et amice, non turbetur tua sagacitas, nec mihi vicium temeritatis ascribat, si ad te pro dicenda, que nonnunquam mentes hominum turbare consuevit, veritate perveni. sum etenim tuorum, qui te sinceriter diligunt, affinium nuncius, per ipsos ad te sub eo proposito destinatus, ut consortem tuam, quam lepre macula reddit odibilem, a latere tuo removeas et dato sibi libello repudii aliam tuis obtutibus placidam superducas, presertim cum, ut reor, inter te et ipsam hoc casu celebrari divorcium sufferat lex divina. nempe si, quod absit, te ipsius oporteat inquinari contagio, non solum tibi contactus ipse cedit in dedecus, sed et toti nostro dominio prejudicium infert et jacturam. expedit igitur tibi, tam dampnosis obstare principiis, ne forte scintilla tenuis in flammam transeat destructivam et morbus quidem fistulare incipiens non abscissus usque pertranseat in medullas.‘ at verbis hujuscemodi a predicto nuncio fine facto, Rudolfus in

14 necessaria forma; forma ist hier entweder modus agendi oder wahrscheinlich ein Brief, der durch die forma, das Porträtsiegel des Schreibers, autorisiert wird; vgl. Du Cange 3, 563. 18 temeritus. 22 reddidit — der libellus repudii der Mosaischen Gesetzgebung Deuter. 24, 1. 3 und noch fünfmal in der Vulgata. 31 ein Verbum fistulare ist mlat. nicht belegt, wol aber ein Adjectivum fistolatus, fistulatus, infistulatus, Du Cange 3, 513f. = fistula seu ulcere laborans (ital. verb. fistolare).